



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Carminvm Iacobi Albani Ghibbesii, Poetae Lavreati Caesarei, Pars Lyrica**

**Gibbes, James Alban**

**Romae, 1668**

Ad Philippvm Porter Vm, puerum septennem. Ode XXII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13378**

Fungo lux aciem, nec geminæ parcere pupulæ,  
 Deturbata cauis quin sonitum sedibus ederet.  
 Hoc aulæ proprium, degeneres tollere, dum crepent:  
 Bullas inflat vti Caurus aquæ, rumpere mōx celer  
 Spumofas animas: Momus iners, cernere Lynceus  
 Re maiora, simul corripuit zona Palatij,  
 Quæ sunt ante pedes luminibus præterit inscijs.  
 Ipsum transflijt me Pyladen sæpius obuium.  
 Tantum est: verso iterum tu Polyphemum fodias stylos

DE S. MARIA AD NIVES.

*Scipio Marchio Sanctacrucius eo die dicens frequentem  
 Academiam celebrauit.*

ODE XXI.

**M**ater maxima virginitum,  
 Virgoquæ ingenuo flore puerperâ,  
 Et diuina modestia  
 A Equari niueis poscit honoribus.  
 Fixit me MARIAE decor  
 Lucentis Cyprio sidere gratius:  
 Fixit mira sagacitas,  
 Et virtus generis conscia regij.  
 Albæ prodigium notæ  
 Cingens Exquilias, & via lactea,  
 Vt cœli dominam exprimunt!  
 Diuæ quàm meritò concolor est domus.  
 Addi nescio quid tamen  
 Exoptabat adhuc virgineus rubor.  
 Hoc Crux Sancta remisit:  
 Tinget nulla pari sanguine purpura.

AD PHILIPPVM PORTERVM

*puerum septennem.*

ODE



## O D E XXII.

**C**resce formosæ puer albe matris,  
 Digna tam magno genitore proles  
 Cresce, fraternos properisque vince  
 Mensibus annos.

Te Deæ natum Paphiæ seuerâ  
 Lege iurarem, nisi quod Cupido  
 Gratijs gaudet Veneris tribus, te  
 Mille sequuntur.

Sic tuam matrem Cyprin ipse vultu  
 Crederem falsus, nisi quod Venus se  
 Vnicâ gaudet, Veneres at illam  
 Mille coronant.

RAYNALDO CARDI ESTENSI,  
 AD VRBEM PROFICISCENTI.

*Romam illius magnificentia, ac rerum præclarè gesta-  
 rum dignum theatrum fore.*

## O D E XXIII.

**I**Bis Troiugenûm celsa Quiritium  
 Longo tecta & opes visere limite  
 Turbæ ritè sequacis,  
 Primis non sine ciuibus,

RAYNALDE, à veteri nobilis Atio,  
 Princeps. Ibis ouans aduena tertium,  
 Ex quo purpura clarat  
 Te sacrum Latij patrem.

Eheu! præcipitem quæ fuga propulit  
 Me sic Vrbe procûl; quæ cohibet mora,  
 Vt deducere fulgens.

Non possim ad Capitolium?  
 Illic continuis Martia plausibus  
 Gens cum voce manus deteret, ac nigrae

Noctis